

HORACE

EPODES (625 vers)

- E1 v.1 Ibis Liburnis inter alta navium,
 2 amice, propugnacula,
 3 paratus omne Caesaris periculum
 4 subire, Maecenas, tuo.
 5 quid nos, quibus te vita sit superstite
 6 jucunda, si contra, gravis ?
 7 utrumne jussi persequemur otium
 8 non dulce, ni tecum simul,
 9 an hunc laborem mente laturi, decet
 10 qua ferre non mollis viros ?
 11 Feremus, et te vel per Alpium juga,
 12 inhospitalem et Caucasum,
 13 vel Occidentis usque ad ultimum sinum
 14 forti sequemur pectore.
 15 Roges, tuom labore quid juvem meo
 16 inbellis ac firmus parum ?
 17 Comes minore sum futurus in metu,
 18 qui major absentis habet,
 19 ut adsidens inplumibus pullis avis
 20 serpentium adlapsus timet
 21 magis relictis, non, ut adsit, auxili
 22 latura plus praesentibus.
 23 Libenter hoc et omne militabitur
 24 bellum in tuae spem gratiae,
 25 non ut juvencis inligata pluribus
 26 aratra nitantur meis
 27 pecusve Calabris ante Sidus fervidum
 28 Lucana mutet pascuis,
 29 neque ut superni villa candens Tusculi
 30 Circaea tangat moenia.
 31 Satis superque me benignitas tua
 32 ditavit ; haud paravero
 33 quod aut avarus ut Chremes terra premam,
 34 discinctus aut perdam nepos.
- E2 v.1 Beatus ille qui procul negotiis,
 2 ut prisca gens mortalium,
 3 paterna rura bubus exercet suis
 4 solutus omni fenore
 5 neque excitatur classico miles truci
 6 neque horret iratum mare
 7 forumque vitat et superba civium
 8 potentiorum limina.
 9 Ergo aut adulta vitium propagine
 10 altas maritat populos
 11 aut in reducta valle mugientium
 12 prospectat errantis greges
 13 inutilisque falce ramos amputans
 14 feliciores inserit

15 aut pressa puris mella condit amphoris
 16 aut tondet infirmas ovis ;
 17 vel cum decorum mitibus pomis caput
 18 Autumnus agris extulit,
 19 ut gaudet insitiva decerpens pira
 20 certantem et uvam purpurae,
 21 qua muneretur te, Priape, et te, pater
 22 Silvane, tutor finium.
 23 Libet jacere modo sub antiqua ilice,
 24 modo in tenaci gramine ;
 25 labuntur altis interim ripis aquae,
 26 queruntur in Silvis aves,
 27 frondesque lymphis obstrepunt manantibus,
 28 somnos quod invitet levis.
 29 At cum tonantis annus hibernus Jovis
 30 imbris nivisque comparat,
 31 aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 32 apros in obstantis plagas
 33 aut amite levi rara tendit retia,
 34 turdis edacibus dolos,
 35 pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
 36 jucunda captat praemia.
 37 Quis non malarum quas amor curas habet
 38 haec inter obliviscitur ?
 39 quodsi pudica mulier in partem juvet
 40 domum atque dulcis liberos,
 41 Sabina qualis aut perusta solibus
 42 pernicious uxor Apuli,
 43 sacrum vetustis exstruat lignis focum
 44 lassum sub adventum viri
 45 claudensque textis cratibus laetum pecus
 46 distenta siccet ubera
 47 et horna dulci vina promens dolio
 48 dapes inemptas apparet,
 49 non me Lucrina juverint conchyliis
 50 magisve rhombus aut scari,
 51 siquos Eois intonata fluctibus
 52 hiems ad hoc vertat mare,
 53 non Afra avis descendat in ventrem meum,
 54 non attagen Ionicus
 55 jucundior quam lecta de pinguis olivis
 56 oliva ramis arborum,
 57 aut herba lapathi prata amantis et gravi
 58 malvae salubres corpori,
 59 vel agna festis caesa Terminalibus
 60 vel haedus ereptus lupo.
 61 Has inter epulas ut juvat pastas ovis
 62 videre properantis domum,
 63 videre fessos vomerem inversum boves
 64 collo trahentis languido
 65 positosque vernas, ditis examen domus,
 66 circum renidentis Lares."
 67 Haec ubi locutus faenerator Alfius,
 68 jam jam futurus rusticus,
 69 omnem redegit idibus pecuniam,
 70 quaerit kalendis ponere.

- 2 senile guttur fregerit,
 3 edit cicutis alium nocentius.
 4 O dura messorum ilia !
 5 Quid hoc veneni saevit in praecordiis ?
 6 num viperinus his cruor
 7 incoctus herbis me fefellit ? an malas
 8 Canidia tractavit dapes ?
 9 Ut Argonautas praeter omnis candidum
 10 Medea mirata est ducem,
 11 ignota tauris inligaturum juga
 12 perunxit hoc Iasonem,
 13 hoc delibutis ultra donis paelicem
 14 serpente fugit alite.
 15 Nec tantus umquam Siderum insedit vapor
 16 siticulosae Apuliae,
 17 nec munus umeris efficacis Herculis
 18 inarsit aestuosius.
 19 At siquid umquam tale concupiveris,
 20 jocose Maecenas, precor
 21 manum puella savio opponat tuo,
 22 extrema et in sponda cubet.
- E4 v.1 Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
 2 tecum mihi discordia est,
 3 Hibericis peruste funibus latus
 4 et crura dura compede.
 5 Licet superbus ambules pecunia,
 6 fortuna non mutat genus.
 7 Videsne, sacram metiente te viam
 8 cum bis trium ulnarum toga,
 9 ut ora vertat huc et huc euntium
 10 liberrima indignatio ?
 11 "Sectus flagellis hic triumviralibus
 12 praeconis ad fastidium
 13 arat Falerni mille fundi jugera
 14 et Appiam mannis terit
 15 sedilibusque magnus in primis eques
 16 Othone contempto sedet.
 17 Quid attinet tot ora navium gravi
 18 rostrata duci pondere
 19 contra latrones atque servilem manum
 20 hoc, hoc tribuno militum ?"
- E5 v.1 "At o deorum quidquid in caelo regit
 2 terras et humanum genus,
 3 quid iste fert tumultus aut quid omnium
 4 voltus in unum me truces ?
 5 per liberos te, si vocata partibus
 6 Lucina veris adfuit,
 7 per hoc inane purpurae decus precor,
 8 per inprobaturum haec Jovem,
 9 quid ut noverca me intueris aut uti
 10 petita ferro belua ?"
 11 ut haec trementi questus ore constitit
 12 insignibus raptis puer,
 13 inpube corpus, quale posset impia
 14 mollire Thracum pectora,
 15 Canidia, brevibus illigata viperis

16 crinis et incomptum caput,
 17 jubet sepulcris caprificos erutas,
 18 jubet cupressos funebris
 19 et uncta turpis ova ranae sanguine
 20 plumamque nocturnae strigis
 21 herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
 22 mittit venenorum ferax,
 23 et ossa ab ore rapta jejuna canis
 24 flammis aduri Colchicis.
 25 At expedita Sagana, per totam domum
 26 spargens Avernalis aquas,
 27 horret capillis ut marinus asperis
 28 echinus aut Laurens aper.
 29 Abacta nulla Veia conscientia
 30 ligonibus duris humum
 31 exhauriebat, ingemens laboribus,
 32 quo posset infossus puer
 33 longo die bis terque mutatae dapis
 34 inemori spectaculo,
 35 cum promineret ore, quantum exstant aqua
 36 suspensa mento corpora,
 37 exsucta uti medulla et aridum jecur
 38 amoris esset poculum,
 39 interminato cum semel fixae cibo
 40 intabuissent pupulae.
 41 Non defuisse masculae libidinis
 42 Ariminensem Foliam
 43 et otiosa credidit Neapolis
 44 et omne vicinum oppidum,
 45 quae sidera excantata voce Thessala
 46 lunamque caelo deripit.
 47 Hic inresectum saeva dente livido
 48 Canidia rodens pollicem
 49 quid dixit aut quid tacuit ? "O rebus meis
 50 non infideles arbitrae,
 51 Nox et Diana, quae silentium regis,
 52 arcana cum fiunt sacra,
 53 nunc, nunc adeste, nunc in hostilis domos
 54 iram atque numen vertite.
 55 Formidulosus cum latent silvis ferae
 56 dulci sopore languidae,
 57 senem, quod omnes rideant, adulterum
 58 latrent Suburanae canes
 59 nardo perunctum, quale non perfectius
 60 meae laborarint manus.
 61 Quid accidit ? cur dira barbarae minus
 62 venena Medae valent,
 63 quibus superbam fugit ultra paelicem,
 64 magni Creontis filiam,
 65 cum palla, tabo munus imbutum, novam
 66 incendio nuptam abstulit ?
 67 Atqui nec herba nec latens in asperis
 68 radix fefellit me locis.
 69 Indormit unctis omnium cubilibus
 70 oblivione paelicum.
 71 A, a, solutus ambulat veneficae
 72 scientioris carmine.
 73 Non usitatis, Vare, potionibus,

74 o multa fleturum caput,
 75 ad me recurre nec vocata mens tua
 76 Marsis redibit vocibus.
 77 Majus parabo, majus infundam tibi
 78 fastidienti poculum,
 79 priusque caelum sidet inferius mari
 80 tellure porrecta super,
 81 quam non amore sic meo flagres uti
 82 bitumen atris ignibus."
 83 sub haec puer jam non, ut ante, mollibus
 84 lenire verbis inpias,
 85 sed dubius unde rumperet silentium,
 86 misit Thyesteas preces :
 87 "Venena magnum fas nefasque non valent
 88 convertere, humanam vicem.
 89 Diris agam vos : dira detestatio
 90 nulla expiatur victima.
 91 Quin, ubi perire jussus exspiravero,
 92 nocturnus occurram Furor
 93 petamque voltus umbra curvis unguibus,
 94 quae vis deorum est Manium,
 95 et inquietis adsidens praecordiis
 96 pavore somnos auferam.
 97 Vos turba vicitim hinc et hinc saxis petens
 98 contundet obscaenas anus ;
 99 post insepulta membra different lupi
 100 et Esquilinae alites,
 101 neque hoc parentes, heu mihi superstites,
 102 effugerit spectaculum."

E6 v.1 Quid inmerentis hospites vexas, canis
 2 ignavus adversum lupos ?
 3 Quin huc inanis, si potes, vertis minas
 4 et me remorsurum petis ?
 5 Nam qualis aut Molossus aut fulvos Lacon,
 6 amica vis pastoribus,
 7 agam per altas aure sublata nivis
 8 quaecumque praecedet fera ;
 9 tu, cum timenda voce complesti nemus,
 10 projectum odoraris cibum.
 11 Cave, cave, namque in malos asperrimus
 12 parata tollo cornua,
 13 qualis Lycambae spretus infido gener
 14 aut acer hostis Bupalus.
 15 An si quis atro dente me petiverit,
 16 inultus ut flebo puer ?

E7 v.1 Quo, quo scelesti ruitis ? aut cur dexteris
 2 aptantur enses conditi ?
 3 parumne campis atque Neptuno super
 4 fusum est Latini sanguinis,
 5 non ut superbas invidae Carthaginis
 6 Romanus arces ureret,
 7 intactus aut Britannus ut descenderet
 8 sacra catenatus via,
 9 sed ut secundum vota Parthorum sua
 10 urbs haec periret dextera ?
 11 Neque hic lupis mos nec fuit leonibus

- 12 umquam nisi in dispar feris.
 13 Furorne caecos an rapit vis acrior
 14 an culpa ? responsum date.
 15 Tacent et albus ora pallor inficit
 16 mentesque percussae stupent.
 17 Sic est : acerba fata Romanos agunt
 18 scelusque fraternae necis,
 19 ut inmerentis fluxit in terram Remi
 20 sacer nepotibus cruor.
- E8 v.1 Rogare longo putidam te saeculo,
 2 vires quid enervet meas,
 3 cum sit tibi dens ater et rugis vetus
 4 frontem senectus exaret
 5 hietque turpis inter aridas natis
 6 podex velut crudae bovis.
 7 Sed incitat me pectus et mammae putres
 8 equina quales ubera,
 9 venterque mollis et femur tumentibus
 10 exile suris additum.
 11 Esto beata, funus atque imagines
 12 ducant triumphales tuum
 13 nec sit marita, quae rotundioribus
 14 onusta bacis ambulet.
 15 Quid ? quod libelli Stoici inter Sericos
 16 jacere pulvillos amant,
 17 inlitterati num minus nervi rigent
 18 minusve languet fascinum ?
 19 quod ut superbo provoces ab inguine,
 20 ore adlaborandum est tibi.
- E9 v.1 Quando repositum Caecubum ad festas dapes
 2 victore laetus Caesare
 3 tecum sub alta (sic Jovi gratum) domo,
 4 beate Maecenas, bibam
 5 sonante mixtum tibiis carmen lyra,
 6 hac Dorium, illis barbarum ?
 7 ut nuper, actus cum freto Neptunius
 8 dux fugit ustis navibus
 9 minatus urbi vincla, quae detraxerat
 10 servis amicus perfidis.
 11 Romanus, eheu (posterii negabitis)
 12 emancipatus feminae
 13 fert vallum et arma miles et spadonibus
 14 servire rugosis potest,
 15 interque signa turpe militaria
 16 sol adspicit conopium.
 17 Ad hunc frementis verterunt bis mille equos
 18 Galli canentes Caesarem,
 19 hostiliumque navium portu latent
 20 puppes sinistrorsum citae.
 21 Io Triumphae, tu moraris aureos
 22 currus et intactas boves ?
 23 Io Triumphae, nec Jugurthino parem
 24 bello reportasti ducem
 25 neque Africanum, cui super Carthaginem
 26 virtus sepulcrum condidit.
 27 Terra marique victus hostis Punico

28 lugubre mutavit sagum.
 29 Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
 30 ventis iturus non suis,
 31 exercitatas aut petit Syrtis Noto
 32 aut fertur incerto mari.
 33 Capaciores adfer huc, puer, Scyphos
 34 et Chia vina aut Lesbia
 35 vel quod fluentem nauseam coerceat
 36 metire nobis Caecubum.
 37 Curam metumque Caesaris rerum juvat
 38 dulci Lyaeo solvere.

E10 v.1 Mala soluta navis exit alite
 2 ferens olentem Mevium ;
 3 ut horridis utrumque verberes latus,
 4 Auster, memento fluctibus ;
 5 niger rudentis Euris inverso mari
 6 fractosque remos differat,
 7 insurgat Aquilo, quantus altis montibus
 8 frangit trementis ilices ;
 9 nec sidus atra nocte amicum adpareat,
 10 qua tristis Orion cadit ;
 11 quietiore nec feratur aequore
 12 quam Graia victorum manus,
 13 cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
 14 in inpiam Ajacis ratem.
 15 O quantus instat navitis sudor tuis
 16 tibi que pallor luteus
 17 et illa non virilis hejulatio
 18 preces et aversum ad Jovem,
 19 Ionius udo cum remugiens sinus
 20 Noto carinam ruperit.
 21 Opima quodsi praeda curvo litore
 22 porrecta mergos juverit,
 23 libidinosus immolabitur caper
 24 et agna Tempestatibus.

E11 v.1 Petti, nihil me sicut antea juvat
 2 scribere versiculos amore percussum gravi,
 3 amore, qui me praeter omnis expetit
 4 mollibus in pueris aut in puellis urere.
 5 Hic tertius December, ex quo destiti
 6 Inachia furere, silvis honorem decutit.
 7 Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)
 8 fabula quanta fui, conviviorum et paenitet,
 9 in quis amantem languor et silentium
 10 arguit et latere petitus imo spiritus.
 11 "Contrane lucrum nil valere candidum
 12 pauperis ingenium ! " querebar adplorans tibi,
 13 simul calentis inverecundus deus
 14 fervidiore mero arcana promorat loco.
 15 "Quodsi meis inaestu et praecordiis
 16 libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
 17 fomenta volnus nil malum levantia,
 18 desinet inparibus certare submotus pudor."
 19 Ubi haec severus te palam laudaveram,
 20 jussus abire domum ferebar incerto pede
 21 ad non amicos heu mihi postis et, heu,

- 22 limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
 23 Nunc glorientis quamlibet mulierculam
 24 vincere mollitia amor Lycisci me tenet ;
 25 unde expedire non amicorum queant
 26 libera consilia nec contumeliae graves,
 27 sed alius ardor aut puellae candidae
 28 aut teretis pueri longam renodantis comam.
- E12 v.1 Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris ?
 2 munera quid mihi quidve tabellas
 3 mittis nec firmo juveni neque naris obesae ?
 4 namque sagacius unus odoror,
 5 polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
 6 quam canis acer ubi lateat sus.
 7 Qui sudor vietis et quam malus undique membris
 8 crescit odor, cum pene soluto
 9 indomitam properat rabiem sedare, neque illi
 10 jam manet umida creta colorque
 11 stercore fucatus crocodili jamque subando
 12 tenta cubilia tectaque rumpit !
 13 Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis :
 14 "Inachia langues minus ac me ;
 15 Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
 16 mollis opus. pereat male quae te
 17 Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem.
 18 cum mihi Cous adesset Amyntas,
 19 cujus in indomito constantior inguine nervus
 20 quam nova collibus arbor inhaeret.
 21 Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
 22 cui properabantur ? tibi nempe,
 23 ne foret aequalis inter conviva, magis quem
 24 diligere mulier sua quam te.
 25 O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acris
 26 agna lupos capreaeque leones ."
- E13 v.1 Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
 2 nivesque deducunt Jovem ; nunc mare, nunc silvae
 3 Threicio Aquilone sonant. rapiamus, amici,
 4 occasionem de die dumque virent genua
 5 et decet, obducta solvatur fronte senectus.
 6 tu vina Torquato move consule pressa meo,
 7 cetera mitte loqui ; deus haec fortasse benigna
 8 reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
 9 perfundi nardo juvat et fide Cyllenea
 10 levare diris pectora Sollicitudinibus,
 11 nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno :
 12 "Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
 13 te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
 14 findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,
 15 unde tibi reditum certo subtemine Parcae
 16 rupere, nec mater domum caerula te revehet.
 17 Illic omne malum vino cantuque levato,
 18 deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis."
- E14 v.1 Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
 2 oblivionem sensibus,
 3 pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
 4 arente fauce traxerim,

- 5 candide Maecenas, occidis saepe rogando :
6 deus, deus nam me vetat
7 inceptos, olim promissum carmen, iambos
8 ad umbilicum adducere.
9 Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
10 Anacreonta Teium,
11 qui persaepe cava testudine flevit amorem
12 non elaboratum ad pedem.
13 Ureris ipse miser : quodsi non pulchrior ignis
14 accendit obsessam Ilion,
15 gaude sorte tua ; me libertina, nec uno
16 contenta, Phryne macerat.
- E15 v.1 Nox erat et caelo fulgebat Luna sereno
2 inter minora sidera,
3 cum tu, magnorum numen laesura deorum,
4 in verba jurabas mea,
5 artius atque hedera procera adstringitur ilex
6 lentis adhaerens bracchiis,
7 dum pecori lupus et nautis infestus Orion
8 turbaret hibernum mare
9 intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
10 fore hunc amorem mutuum.
11 O dolitura mea multum virtute Neaera !
12 nam siquid in Flacco viri est,
13 non feret adsiduas potiori te dare noctes
14 et quaeret iratus parem,
15 nec semel offensi cedet constantia formae,
16 si certus intrarit dolor.
17 Et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
18 superbus incedis malo,
19 sis pecore et multa dives tellure licebit
20 tibi que Pactolus fluat
21 nec te Pythagorae fallant arcana renati
22 formaque vincas Nirea,
23 heu heu, translatos alio maerebis amores :
24 ast ego vicissim risero.
- E16 v.1 Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
2 suis et ipsa Roma viribus ruit.
3 Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
4 minacis aut Etrusca Porsenae manus,
5 aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer
6 novisque rebus infidelis Allobrox
7 nec fera caerulea domuit Germania pube
8 parentibusque abominatus Hannibal :
9 in pia perdemus devoti sanguinis aetas
10 ferisque rursus occupabitur solum :
11 barbarus heu cineres insistet victor et urbem
12 eques sonante verberabit ungula,
13 quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
14 (nefas videre) dissipabit insolens.
15 Forte quid expediat communiter aut melior pars,
16 malis carere quaeritis laboribus ;
17 nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
18 velut profugit exsecrata civitas
19 agros atque lares patrios habitandaque fana
20 apris reliquit et rapacibus lupis,

21 ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
 22 Notus vocabit aut protervus Africus.
 23 Sic placet ? an melius quis habet suadere ? Secunda
 24 ratem occupare quid moramur alite ?
 25 sed juremus in haec : "Simul imis saxa renarint
 26 vadis levata, ne redire sit nefas ;
 27 neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
 28 Padus Matina laverit cacumina,
 29 in mare seu celsus procurrerit Appenninus
 30 novaque monstra junxerit libidine
 31 mirus amor, juvet ut tigris subsidere cervis,
 32 adulteretur et columba miluo,
 33 credula nec rivos timeant armenta leones
 34 ametque salsa levis hircus aequora."
 35 haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis
 36 eamus omnis exsecrata civitas
 37 aut pars indocili melior grege ; mollis et exspes
 38 inominata perpremat cubilia.
 39 Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
 40 Etrusca praeter et volate litora.
 41 Nos manet Oceanus circum vagus ; arva, beata
 42 petamus arva, divites et insulas,
 43 reddit ubi cererem tellus inarata quotannis
 44 et inputata floret usque vinea,
 45 germinat et numquam fallentis termes olivae
 46 suamque pulla ficus ornat arborem,
 47 mella cava manant ex ilice, montibus altis
 48 levis crepante lymphae desilit pede.
 49 Illic injussae veniunt ad mulctra capellae
 50 refertque tenta grex amicus ubera
 51 nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
 52 nec intumescit alta viperis humus ;
 53 pluraque felices mirabimur, ut neque largis
 54 aquosus Eurus arva radat imbribus,
 55 pingua nec siccis urantur semina glaebis,
 56 utrumque rege temperante caelitem.
 57 Non huc Argoo contendit remige pinus
 58 neque inpudica Colchis intulit pedem,
 59 non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
 60 laboriosa nec cohors Ulixei ;
 61 nulla nocent pecori contagia, nullius astri
 62 gregem aestuosa torret impotentia.
 63 Juppiter illa piaae secrevit litora genti,
 64 ut inquinavit aere tempus aureum,
 65 aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum
 66 piis secunda vate me datur fuga.

E17 v.1 Jam jam efficaci do manus scientiae,
 2 supplex et oro regna per Proserpinae,
 3 per et Dianae non movenda numina,
 4 per atque libros carminum valentium
 5 refixa caelo devocare sidera,
 6 Canidia : parce vocibus tandem sacris
 7 citumque retro solve, solve turbinem.
 8 Movit nepotem Telephus Nereium,
 9 in quem superbus ordinarat agmina
 10 Mysorum et in quem tela acuta torserat.
 11 Unxere matres Iliae additum feris

12 alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
13 postquam relictis moenibus rex procidit,
14 heu pervicacis ad pedes Achillei ;
15 saetosa duris exuere pellibus
16 laboriosi remiges Ulixei
17 volente Circa membra : tunc mens et sonus
18 relapsus atque notus in voltus honor.
19 Dedi satis superque poenarum tibi,
20 amata nautis multum et institoribus.
21 Fugit juvenas et verecundus color
22 reliquit ossa pelle amicta lurida,
23 tuis capillus albus est odoribus ;
24 nullum a labore me reclinat otium,
25 urget diem nox et dies noctem, neque est
26 levare tenta spiritu praecordia.
27 Ergo negatum vincor ut credam miser,
28 Sabella pectus increpare carmina
29 caputque Marsa dissilire nenia.
30 Quid amplius vis ? o mare et terra, ardeo,
31 quantum neque atro delibutus Hercules
32 Nessi cruore nec Sicana fervida
33 virens in Aetna flamma ; tu, donec cinis
34 injuriosis aridus ventis ferar,
35 cales venenis officina Colchicis.
36 Quae finis aut quod me manet stipendium ?
37 effare ; jussas cum fide poenas luam,
38 paratus expiare, seu poposceris
39 centum juvencos sive mendaci lyra
40 voles sonare : "Tu pudica, tu proba
41 perambulabis astra sidus aureum."
42 infamis Helenae Castor offensus vice
43 fraterque magni Castoris, victi prece,
44 adempta vati reddidere lumina :
45 et tu, potes nam, solve me dementia,
46 o nec paternis obsoleta sordibus
47 neque in sepulcris pauperum prudens anus
48 novendialis dissipare pulveres.
49 Tibi hospitale pectus et purae manus,
50 tuosque venter Pactumeius, et tuo
51 cruore rubros obstetrix pannos lavit,
52 utcumque fortis exsilis puerpera."
53 "Quid obseratis auribus fundis preces ?
54 non saxa nudis surdiora navitis
55 Neptunus alto tundit hibernus salo.
56 Inultus ut tu riseris Cotytia
57 volgata, sacrum liberi Cupidinis,
58 et Esquilini pontifex venefici
59 inpune ut Urbem nomine inpleris meo ?
60 Quid proderat ditasse Paelignas anus
61 velociusve miscuisse toxicum ?
62 Sed tardiora fata te votis manent :
63 ingrata misero vita ducenda est in hoc,
64 novis ut usque suppetas laboribus.
65 Optat quietem Pelopis infidi pater,
66 egens benignae Tantalus semper dapis,
67 optat Prometheus obligatus aliti,
68 optat supremo collocare Sisyphus
69 in monte saxum ; sed vetant leges Jovis.

70 Voles modo altis desilire turribus,
71 modo ense pectus Norico recludere,
72 frustraue vincla gutturi nectes tuo
73 fastidiosa tristis aegrimonia.
74 Vectabor umeris tunc ego inimicis eques
75 meaeque terra cedet insolentiae.
76 An quae movere cereas imagines,
77 ut ipse nosti curiosus, et polo
78 deripere lunam vocibus possim meis,
79 possim crematos excitare mortuos
80 desiderique temperare pocula,
81 plorem artis in te nil agentis exitus ?"